

# SEBASTIANUS SOLDATI

## DEI ET SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

## TARVISINORUM EPISCOPUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS
DILECTISSIMIS FILIIS, CAPITULO, CLERO, POPULOQUE
URBIS AC DIOECESIS TARVISINAE

## SALUTEM

*IN DOMINO SEMPITERNAM*

I. Quicumque gradus multiplices paullo attentius consideret, quibus Divina Providentia, *attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter* (Sap. c. 8.), ad Episcopalem Cathedram Tarvisinam, multis nominibus spectabilem et illustrem, humilitati Nostrae patere voluit ascensum; is demum verbis David fateatur oportet, *a Domino factum esse istud, et esse mirabile in oculis nostris* (Psalm. 117.). Et sane dum cogitamus, Venerabiles Fratres, Filiique charissimi (cogitamus autem saepissime) unde, quaque de causa istuc venimus, qua occasione Dioecesi Tarvisinae adscripti fui-

mus, quibus subsidiis cognovimus gregem, quem Æternus Pastorum Princeps sollicitudini Nostrae modo commisit; profecto sic afficimur, ut Pauli Apostoli vocibus dicamus: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis ...... cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (Rom. c. 11.)? Nos enim qui clarissimam vetustissimamque Urbem Euganeam, in qua orti educatique sumus, ea prosequebamur charitate, ut nulla proposita spe honoris atque emolumenti, ab ipsa passi essemus disjungi; consiliis ducti Praesulis gravissimi, (cui neque hortanti deesse poteramus, nec jubenti), illam ad tempus reliquimus, simul ut occasio sese obtulit regendae Studiosae Juventutis, quae in Collegio Castrofrancano Humanioribus Litteris, et Philosophicis Disciplinis operam dabat. Ut vero magis pateret quam sint *cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae* (Sap. c. 9.), voluit Deus ut Nobis Tarvisinam Provinciam jam ingressis, discessumque ab ea tempore suo meditantibus, cuncta sic acciderent, ut vinculo in dies arctiore Dioecesi isti nobilissimae jungeremur. Nam qui litteraria otia, optatamque solitudinem mente volvebamus cum primum scholastico ministerio essemus perfuncti; procurante Viro, tum integerrimae laude vitae, tum sapientiae rerumque gestarum fama usque celeberrimo (cujus eximiam in Nos benevolentiam et humanitatem perpetua recordatione prosequemur); nec tale quid cogitantes, nec cogitare valentes, immo pro tenuitatis Nostrae conscientia, quantum licuit, reluctantes, Novalensi Curiae, suo tunc viduatae Rectore, a Bernardino Marino, Praecessore Nostro praefecti fuimus. Cumque ibi ad annos novem sic versati essemus, ut satis amplum laboris fructum Nos relaturos fore arbitraremur, si juxta votum contigisset, *parare Domino plebem perfectam* (Luc. c. 1.); consilio et auctoritate Praesulis benemerentissimi Josephi Grasserii, modo Veronensium Antistitis, (cui plus debere sentimus, quam verbis explicare valeamus), in nobilissimum istud Patrum Canonicorum Collegium cooptati sumus: unde factum est, ut Tarvisinae Ecclesiae Senatui jam adscripti, vicariaque universae Dioecesis ab eodem Praesule aucti procuratione; Ipso auspice, moderatore ac Duce tum Parochorum studia, sollertiam ac pastoralem sollicitudinem, tum multiplices gregis necessitates, quem tempore suo misericors Dominus Nobis commissurus erat, facile cognosceremus. Jam vero cum hujusmodi exercitationi ad annos quatuor sic incubuissemus, ut ex iis quae acciderant citra erroris periculum conjicere liceret quantae molis sit subditum gregem moderari; Nobisque laboriosi regiminis curas et difficultates, quantum satis erat, expertis, omnino propositum foret, eo discedente Antistite, quem semper suspeximus, quem admirati sumus, quem amantissimi Patris loco habuimus; absolutoque tempore viduitatis Ecclesiae Tarvisinae, Nobis duntaxat in posterum, Litteris, atque utilitati Cathedralis Basilicae vacare; praeter omnem expectationem, benignitate plane singulari Clementissimi Imperatoris ac Regis Francisci I, ac Pii VIII Pontificis Maximi auctoritate et jussu, ad Episcopalis Cathedrae Tarvisinae fastigium evecti fuimus. Quae cum ita se habeant, merito statuimus, eos qui totius rei gestae exordium, ordinem, progressum secum ipsi perpenderint, procul dubio existimaturos

esse Nobiscum, maximam subesse spem, Illum Nos designasse ut Apostolico ministerio fungeremur, qui ad suae ostensionem virtutis, *infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat* (I. Cor. 1.), quique *suscitat de pulvere egenum* (I. Reg. c. 1.) *ut pascat Israel haereditatem suam* (Psalm. 77.).

*Multiplex timoris causa. Prima ex ipsa Episcopalis officii gravitate petita.*

II. Quomodo affecti fuerimus dum primum accepimus, sanctissima ac verenda Pontificali dignitate Nos brevi honestandos esse, haud facile est verbis explicare. Tria enim illico dubiae ac trepidanti menti Nostrae occurrerunt, metuenda scilicet gravitas et praestantia Episcopalis officii, celebritas atque amplitudo regendae Dioecesis, Praecessorumque fama, qui nomen suum immortalitati commendarunt. Et sane vix dum cogitavimus cujusmodi munus Nobis esset committendum, intelleximus statim gravissimum illud onus Angelicis humeris formidandum Nobis imponi, cujus difficultate deterriti Viri quique sanctissimi et sapientissimi, Episcopalem Cathedram ascensuri, animis exciderunt: cum optime scirent, Episcopos Angelos esse oportere, non modo integrae vitae morumque laude, verum etiam admirabili quadam superni luminis copia, qua subditorum mentes sic perfundant, ut ipsis hortantibus, errantes homines in viam salutis revocentur, tepidi coelesti igne accendantur, perfecti demum, quasi subjectis stimulis, majorem in dies bonitatem assequantur. Quapropter exagitatum animum justissimo afficiebat terrore B. Augustini sententia: *Omni die et omni hora, et cura omnino continua cogitare debet Episcopus quantae dispensationis sarcinam gerat, qualemque de illa rationem Domino suo reddet* (S. Aug. Homil. ad Popul.): eo vel maxime quod ex Chrysostomi sententia; *omnium quos regit Episcopus, mulierum, virorum puerorumque ab eo reddenda est ratio; eumque propter ea timere oportet, et contremiscere, et propter conscientiam, et propter molem imperii.* (S. Jo. Chrys. 34, Hom. in C. I. Epist. ad Hebr.)

*Altera metus causa ab amplitudine ac praestantia Tarvisinae Dioecesis profecta.*

III. Nec minor suberat timoris causa cum Tarvisinae Dioecesis celebritatem atque amplitudinem taciti consideraremus. Cum enim decimo octavo abhinc anno in Provincia ista florentissima, jure prope civitatis adepto, commorari coeperimus; facile perspeximus quot quantisque, tum in Urbe, tum in pagis et oppidis abundet Viris in facultate qualibet celeberrimis ac praestantissimis: quorum aures et corda ille dumtaxat mulcere potest, qui divinas humanasque disciplinas sic teneat, ut sapientissimus et habeatur, et sit. At cum loci dignitas, tum ipsius inspecta amplitudo Nos majorem in modum perturbabat. Nam simul ut Dioecesim totam qua late patet mente oculisque peragravimus; confertissimum gregem ducentorum ferme viginti millium hominum pastorali sollicitudini Nostrae committi intelleximus; pro quibus vades et sponsores futuri sumus apud *Pastorem et Episcopum animarum nostrarum.* (I. Pet. 2.)

*Tertia metus causa ex Praecessorum meritis ampla.*

IV. At cum ad Praesules spectatissimos cogitationem convertissemus, qui in eadem Episcopali Cathedra Nos praecesserunt, formidinem Nostram sic auctam fuisse testamur, ut animis pene deficeremus. Considerantibus enim Nobis Sanctae Ecclesiae Tarvisinae aetates et vicissitudines, ejusque praeteritae gloriae tempora memoria repetentibus; tot menti Nostrae obversabantur Pontifices, alii avita generis nobilitate, alii

verenda vitae sanctitate, alii doctrinae laude, alii pastoralis sollicitudinis gloria vere insignes, ut propterea non vereri ac trepidare magnopere possit, qui nulla avorum commendatione, vel propriae virtutis fama spectabilis (quales Nos esse cognoscimus et fatemur) in eorum sit locum successurus. Quibus Praesulibus cum Illum adjunxissemus, qui proxime Nos praecessit, quique admirabili sapientia ac prudentia pari Dioecesim istam ad annos sex ita administravit, ut aetate adhuc florenti in animabus regendis (quamdiu Tarvisinis Sacris praefuit) sollertissimus et haberetur, et diceretur; discedens vero istinc incredibile sui desiderium relinqueret cunctis, quos morum suavitate ac beneficiis sibi devinxerat; in eam sententiam venimus, aut nullo pacto, aut vix fieri posse, ut hujusmodi Praecessoris, de Nobis praesertim benemerentissimi, sequamur vestigia, qui cum omnibus qui post eum venturi sunt, satis amplum et illustre ad imitandum exemplar proposuerit; Nobis qui longo ab Ipso distamus intervallo, Ejus assequendi spem pene omnem eripuit.

*Solatii ac spei causae recensentur. Prima ex gregis bonitate deprompta.*

V. Verum dum dejecti animo, vehementerque perturbati, singula haec mente complexi essemus, miro prorsus modo factum est, ut *qui consolatur humiles, consolaretur Nos Deus* (2. Cor. 7.), atque ita praeclare Nobiscum ageret, ut quo ex fonte gravissima manarat mentis trepidatio, inde pax, gaudium ac spes proficisceretur. Cum enim cogitaremus quam felix sit, ac vere beatus Pastor, qui docilem sortitur gregem; statim intelleximus immortali Æterni Numinis beneficio factum fuisse, ut populum eum regendum susciperemus, cujus ingenii suavissimi atque antiquae probitatis Ipsi testes sumus; ut hoc propterea affirmare non dubitemus, quod si providentissimo Dei consilio omnino statutum erat, ut sanctissima Episcopali aucti dignitate, Dioecesim aliquam quandocumque administraremus; nulla fortasse alia, praeter Tarvisinam, Nobis committi potuit, sive gratior, sive notior, sive facilior ad pastorale regimen ineundum. Quid enim tutius ac dulcius quam iis praeesse, qui praecipua quadam ac plane singulari charitate Nos prosecuti, tot tantisque auxerunt beneficiis, ut Tarvisium propterea alteram veluti patriam merito habeamus; qui Nobis jam designatis ea benevolentiae laetitiaeque significatione gratulati sunt, ut Episcopale onus gravissimum, levius quodammodo ex hoc fieri videretur; qui Praesulibus demum suis se gratos usque et obsequentissimos praebuerunt? Illud quoque ad solatium accedit, quod Dioecesis Tarvisina diuturno usu atque exercitatione adeo Nobis innotuit, ut curarum plenam ac sollicitudinis viam pastoralis muneris ingressuri, haud immerito suavissimis Christi Domini verbis dicere possumus: *Cognosco oves meas et cognoscunt me meae* (Jo. c. 10.).

*Altera spei causa ex ipsa divina vocatione profecta.*

VI. Quamvis autem Tarvisinorum civium optime perspecta indoles Nos mirifice recreet ac soletur; altera tamen cogitatio ex ipsa divina vocatione petita, sic Nos erigit et confirmat, ut priore depulsa formidine, jubeat omnino bene sperare. Et sane cum illud sit plane certissimum, quod D. O. M., qui *potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae* (Matth. c. 3.) coelestis Gratiae suae auxilia iis nunquam deesse patitur, quos ad aliquod ministerium obeundum Ipse vocavit; merito confidimus Eum qui Nos elegit, Nobis pariter semper esse affuturum. Quid enim esse potest cur de vocatione No-

stra diutius dubitemus, cum hoc certo sciamus optimis faustissimisque auspiciis haud ita pridem a Clementissimo Imperatore ac Rege Nos fuisse designatos? Hac scilicet de causa voluisti, Diva Parens, cunctorumque Coelitum Regina, ut Caesar piissimus ea die Tarvisino populo Nos curaret praeficiendos, qua Venetae Provinciae sollemni ac religioso cultu Te, excellentissima, auctam dignitate verae Matris Domini venerantur: ut bujus Apostolicae vocationis Nostrae exordia ad memoriam revocantes, in spem certissimam assurgeremus fore ut Tu, o Virgo dulcissima, affectu plane materno Nos usque prosequare, in tutelam recipias Tuam, Nostris adsis inceptis, ac pastorale regimen Tuo fortunes patrocinio. Te autem auspice, adjutrice, patrona, quid timendum erit Nobis, qui a gravissimis Patribus ac Doctoribus didicimus, eam esse Tibi potestatem, ut quidquid velis suo omnino non possit effectu carere? Perge ergo, o Mater omnium suavissima, tum pastorem, tum gregem, qua semper consuevisti, prosequi benignitate; et quae hujusmodi auspiciis quasi vexillum sustulisti, ut bene speraremus, Jesum deprecare Tuum, *qui sempiternum habet sacerdotium* (Heb. c. 7.), ut ejus spiritu ducti, nil aliud praeter Dei gloriam, commissique populi utilitatem in pastorali regimine quaeramus.

*Ad patrocinium B. Virginis facilius promerendum, Divi Dioecesis Patroni evocantur.*

VII. At vestrum sit potentissimam hanc Coelitum Reginam pro Nobis exorare, Heroes fortissimi, quorum patrociniis stat floretque Ecclesia Nostra. Ac Tu in primis novo adesto Antistiti, difficillimum regimen ineunti, Petre Apostolorum Princeps, qui majorem usque tueris Basilicam Tarvisinam Tuo nomine auspiciisque gloriosam. Nec Te pigeat ab astris, quo meritis exigentibus ascendisti, Pastori patriae Tuae dulcissimae favere impensius, Benedicte, Pontifex Maxime, Tarvisinorum gloria et columen, ut Te protegente, sin minus augere (quod vires Nostrae non ferunt) servare saltem liceat nobilissimum munificae dexterae Tuae monimentum, unde civitati universae novus veluti cumulus decoris accedit. Vos pariter, Episcopi sanctissimi, Florenti et Vindemialis, istius Cathedrae praesidia firmissima, Nos Tarvisinis Sacris praefectos paterna complectiminor charitate, opem fertote precibus, adeste auxilio: ne Sponsa ista speciosissima, quae piis olim juncta Praesulibus omnium oculos in se convertit mira elegantia formae; heu nimium dissimili sociata viro, priscam se exuisse pulchritudinem conqueratur. Vos demum, invicti Martyres Christi, Theoniste, Thabra et Thabrata; vosque Patroni optimi, Liberalis, Parisi atque Henrice, Pontificale solium semper circum cingentes, causae rebusque Nostris sic consulite, ut quidquid ad religionis decus, ad pietatis incrementum, ad populi utilitatem moliturі sumus, vobis deprecantibus, bene vertat.

*Verba ad Reverendissimos Canonicos Collegii Tarvisini.*

VIII. Coelestibus confisi praesidiis, alacrioresque quodammodo effecti, Apostolicum ministerium ab hisce Epistolis auspicamur, quibus singulos et universos Tarvisinae Dioecesis, quasi praesentes alloquimur paterno plane sensu et effectu. Ac primum quidem Vos, debiti honoris gratia, Nostra modo compellat oratio, Reverendissimi Patres Canonici tum officii dignitate, tum prudentia, aetate ac virtute verendi, quibus Nos sic obstrictos esse fatemur, ut beneficia in Nos collata, gratissima nec unquam interitura recordatione simus merito prosecuturi. O quam dulce Nobis est annos meminisse, quibus

fraterno juncti foedere *in domo Dei ambulavimus cum consensu* (Psalm. 54.). Quod si experientia duce cognovimus quid boni pariat animorum conjunctio, et mutua charitas, qua vigent Societates, ac Respublicae ipsae stant et florent; de hoc potissimum solliciti sumus, ut singulos actus Concordia dirigat, atque *omnia nostra* (quemadmodum Paulus Apostolus hortatur) *in charitate fiant* (1. Cor. 16.). Hoc certe a vobis speramus, de Nobis autem pollicemur, eam semper futuram fore inter nos voluntatum consensionem, ut ex Episcopo ac Collegio vestro una veluti familia coaluisse videatur. Qua ex re si Princeps beneficentissimus pro singulari sua clementia ac benignitate voluit, ut hac vice Episcopalem Sedem Tarvisinam teneret, qui ex amplissimo isto Patrum Canonicorum Ordine assumptus esset (quod quinque abhinc Saeculis ex patria Ecclesiastica Historia colligimus nunquam factum fuisse); Nos certe, adjuvante Domino, in hoc toti erimus, ut optimi Caesaris voluntati obsequentes, illustrem Ecclesiae Nostrae Senatum, cui hactenus adscripti fuimus, plurimi faciamus. At in iis quae ad Tarvisinae Dioecesis utilitatem aggressuri sumus, opera consilioque vestro, Venerabiles Fratres, quam qui maxime indigemus. Vos enim, qui ex vitae vestrae instituto, ad Sacrorum Canonum normam singulos Ecclesiastici ministerii actus componere debetis, ii estis, unde exempla probatissima merito expectari possunt, Clericis inferioribus admodum profutura. Quapropter cum pro muneris vestri dignitate in excelso quodam loco positi omnino latere non possitis; pergite, o Viri gravissimi, quemadmodum semper facere consuevistis, tum in divinis laudibus canendis, tum in peragendis Sacris exhibere vos perquam accuratissimos. Vestrum sit cavere, ut quicumque statis horis ad laudandum Dominum conveniunt, sic munere suo fungantur, ut *digne, attente* ac *devote* id perficiant ad propriam utilitatem, atque ad Christianae plebis exemplum: ne forte iratus Dominus hujusmodi precationes despiciens, illud dicat: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (Matth. c. 15.). Quod ne unquam eveniat, jubete singulos usque meminisse saluberrimae legis, quam in Concilio suo Provinciali IV, tulit sanctissimus ille Mediolanensium Pontifex, Carolus Borromaeus: *Attente, studioso, rite, pie, religiose, divinas laudes concelebrate:.... non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu* (Concil. Provinc. Mediol. loco cit.). Ad Augustissimum vero Missae Sacrificium quod attinet, quo nihil sanctius, nihil perfectius, nihil Christiano populo utilius divina habet Religio, sic semper vos gerite, ut quisquis actus vestros considerarit, intelligat demum, omnino opus esse, ut res tam sancta (quemadmodum Tridentini Concilii Patres locuti sunt) *quanta maxima fieri possit interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori pietatis ac devotionis specie peragatur* (Conc. Trid. Sess. XXII, de Sacrific. Missae). Nam cum maxime deceat a Majore Urbis Basilica Ecclesiasticae perfectionis exempla in universam Dioecesim manare; satis cognoscitis, omni contentione et studio a Vobis curandum esse, ut suus rebus divinis servetur honor, sanctaque sancte tractentur. Huc itaque cogitationes spectent et consilia vestra, ut verbis David vere dicere possitis: *Domine dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae* (Psalm. 25.).

*Monita ad Parochos.*

IX. Post Patres Canonicos, quos ceteris omnibus non modo dignitate, sed affectione proximiores habemus, vos modo alloquimur, o Praepositi, Archipresbyteri, Parochi, aliique animarum Rectores, qui in sollicitudinis Pastoralis partem adsciti, saluberrimam Tarvisino gregi navatis operam, ovibusque praeestis Nobis concreditis. Qua vos prosequamur charitate, quantique vestra faciamus merita, tum in Christianam, tum in Civilem Rempublicam parta diligenti atque assidua ministerii sacri exercitatione; facili negotio (quemadmodum sperare juvat) cognoscere potuistis, cum Dioecesis istius vicaria procuratione fungeremur. Cum enim ad aliquot annos idem obiissemus officium, satis intelleximus, tam graves ac multiplices esse Sacrorum Pastorum partes, ut quicumque illas implere cumulatissime possit, de Societate universa optime mereatur. Et sane quis non jure appellaverit posterorum memoria dignos homines, qui non sibimetipsis sed suis vivunt; qui divinas patriasque ex instituto tuentur leges; qui flexanimae ac praepotentis eloquentiae vi corda mulcent, a vitiis retrahunt, ad virtutes hortantur; qui vel Sponsos sacro jungunt foedere, vel acerrimis simultatibus divisos blandiloquo sermone paternisque monitis ad concordiam revocant; qui animos vitiorum coeno demersos pristino restituunt candori; qui miseros aerumnis, inedia atque egestate confectos omni officiorum genere solantur; qui vel cum vitae discrimine morituris adsunt, neque unquam relinquunt, donec fugientem animam Conditori suo piis precibus commendaverint? O vos itaque vere beatos, qui tam praeclare de patria, de civibus, atque adeo de tota Dioecesi Nostra meriti estis! Quid porro de vobis sentiat, deque laborum per vos susceptorum utilitate, satis, ut opinor, antea declaravit justissimus meritorum extimator Franciscus, Rex noster, qui brevissimo annorum intervallo binos e Coetu vestro Antistites assumpsit, ut tum Adriensis, tum Cenetensis Ecclesiae utilitati consuleret: quo sane facto ostendit, Parochos Tarvisinos esse sibi longe probatissimos. Quae cum ita se habeant, sinite Nos in officiis ministerii vestri cursim commemorandis, narrantium potius quam hortantium morem sequi: quippe cum optime intelligamus stimulis monitisque eos minime indigere, qui summa alacritate, diligentia et fructu *opus Domini operantur* (I. Cor. 16.). Illum itaque usque contemplamini Pastorum Principem, qui hoc vere de se affirmare potuit: *Ego sum Pastor bonus* (Jo. c. 10.). *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* (Ibid.): cujus exempla si pro humanarum virium conditione accurate imitati fueritis, hoc certissime fiet, ut commissas fideliter custodiatis oves, easque juxta D. Bernardi monitum, *pascatis verbo, pascatis exemplo, pascatis sanctarum fructu orationum* (S. Bern. Epist. 201.).

*Prima Parochorum obligatio sita in tradendo verbo Dei.*

Ac primum quidem vestrum sit, o Pastores, meminisse, sic vobis injunctum esse populum docere legem Dei, eumque tum Concionibus sacris, tum Catechesi ad virtutis amorem excitare, ut quisquis huic muneris sui parti defuerit, seras olim daturus negligentiae poenas, hoc proculdubio sit auditurus a Christo Judice: *Quod infirmum fuit non consolidastis, quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesistis. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum* (Ezech. c. 34.). Nam

si humani generis hostis nil intentatum relinquit ut animas decipiat, atque in tenebricosum carcerem qua insidiis, qua blanditiis, qua tentationibus vehementissimis secum pertrahat; anne aliquis ex Pastoribus esse poterit qui existimet nimium oneris imponi sibi cum ab eo exigitur ut vocem extollat suam, commissasque oves de impendenti periculo moneat? Ergone promptior erit diabolus ut occidat, quam Christi minister ut salvet animas? Quamobrem studete, Pastores optimi, (enixe rogamus et obsecramus vos), ut quantum fieri possit, nullus omnino festus dies abeat, quin argumento aliquo ex Evangelio petito subditum populum ad virtutis amorem inflammetis. Hoc subditae plebis necessitas, hoc temporum nostrorum conditio, hoc ipsa muneris vestri ratio in primis postulat. Cumque Nobis persuasum sit nullo modo fieri posse, ut *declinet a malo, et faciat bonum* (Psalm. 36.), cui saepius a Pastore suo exposita non fuerit *lex Domini immaculata, convertens animas* (Psalm. 18.); idcirco pollicemur, Nos per quam diligentissime quaesituros esse, an quilibet ex Parochis obligationi huic satisfecerit. At quae jam Nobis rectissima insedit opinio singularis virtutis ac religionis, qua Rectores animarum eminent in Tarvisina Dioecesi; ea in antecessum suadet, futurum fore, ut adventante Pastoralis Visitationis tempore, hujusmodi sedulitatis et curae quam in divino verbo tradendo ab omnibus Parochis requirimus, testes ac laudatores simus locupletissimi.

*Altera Pastorum obligatio in optimo vitae exemplo posita.*

Jam vero, ut ad illud pergamus modo quod alterum erat, quid boni, quid utilitatis allaturae essent Conciones vel eloquentissimae, monita salutis, consilia optima, si forte (quod Deus avertat) tota ratio vitae a verbis discreparet? Cum enim juxta doctrinam Gregorii Magni, *forma gregis sit vita Pastoris* (Greg. Mag. in Pastor.); nemo non videt, omnino oportere christianis virtutibus esse praeditum, atque a vitiis perquam remotissimum qui ad aeternorum amorem ceteros allicere studet. Sic agite ergo, Pastores optimi, sic vitam moresque componite, *ut luceat lux vestra coram hominibus, et videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* (Matth. c. 5.). Cernant oves qua incedat via Rector ad vitae aeternae pascua illas ducturus: cumque cognoverint qua ipse praestet Fide, Spe, Charitate, abstinentia, humilitate, constantia, morum integritate, misericordia in pauperes; illum proxime sequi contendant. Nihil enim est tam arduum et difficile (credite Nobis id saepius expertis in pluribus optimis Viris) quod Pastores animarum exequi non possint si perfecto vitae genere in illud incumbant, ut eos *existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (I. Cor. 4).

*Tertia Parochorum obligatio in fundendis pro grege precibus sita.*

Nemo tamen ex Pastoribus sit, qui suas cumulate partes se implevisse arbitretur, nisi vocis contentioni optimisque vitae exemplis pias precationes adjiciat. Nam cum illud sit cunctis exploratum quod Christus docuit: *Sine me nihil potestis facere* (Jo. c. 15.); hoc plane consequitur, vocem Concionatoris quamvis disertissimi, et christiana pietate insignis, inutilem prorsus esse futuram, nisi humilis oratio optatam ipsi tribuerit efficacitatem. Qui enim fieri potest, ut Pastor Ecclesiae adversus vitia et cupiditates hominum pugnaturus gladio spiritus, scilicet verbo Dei, triumphos obtineat, quin prius ad

similitudinem Moysis orantis in monte, multa se ad hoc certamen prece compararit? Hinc nimirum sagittae petuntur ferientes corda; hinc fulgura ac tonitrua pertinaces quosque homines territura; hinc ignis auditorum animos incendens. Praemissa precatione, Concionator vel mediocris feret populi voluntates quocumque voluerit; ipsa contempta, doctissimus ac disertissimus quisque erit *aes sonans*, *ac cymbalum tinniens* (I. Cor. 13.). Quapropter etsi vehementer cupimus vos quotidie, atque adeo saepius in die pro subdito populo orare; hoc tamen precationis officium jure prope Nostro postulamus a vobis praesertim diebus festis, quibus pro gregis incolumitate, ex Ecclesiae praecepto, Sanctissimum Missae Sacrificium estis oblaturi. Quo ergo tempore Æterno Patri Hostiam immolatis omnium gratissimam; enixis precibus exorate Christum, ut *det voci suae vocem virtutis* (Psalm. 67.), atque efficacissimo Gratiae suae auxilio sic agat, ut singula verba ex ore vestro exitura sint *sicuti sagittae in manu potentis* (Psalm. 126.), quae audientium animos vulnerent, errantesque homines cogant resipiscere: ita ut maximo populorum fructu id accidat quod Bernardus monuit: *Timeat orationem qui admonitionem contempsit* (D. Bern. Lib. IV Consid. c. 7.).

Quarta Parochorum obligatio erudiendae Juventutis christiana catechesi.

Quamvis autem majorem in modum optamus, o Rectores, operam auxiliumque vestrum a subditis oppidanis nunquam desiderari in omnibus iis, quae, ex doctrina Sanctae Synodi Tridentinae (Sess. XXIII, c. 1.), sic Pastorum propria sunt, ut divino iis injuncta praecepto habeantur et sint; non possumus tamen quin maximo studio ac cura vestram hortemur virtutem, ut perficiatis opus optimo quoque Parocho sane dignum, unde juventutis utilitas, Paroeciarum felicitas, universaeque Dioecesis bonum praecipue pendent. Quis enim animo tam rudi esse potest, quem lateat, Scholam Doctrinae Christianae tradendae, quam Princeps sapientissimus in singulis pagis oppidisque surgere jussit a proprio Parocho regendam, eam esse, quae cereos juvenum animos ad virtutem flectit, altissima imbuit sapientia timoris Domini, hortaturque eos *portare jugum Domini ab adolescentia sua* (Thren. c. 3.)? Hanc ergo Scholam tot bonorum caussam Nos Dioecesi isti praefecti non diligamus? non admiremur? non omni cura et sedulitate Parochis Nostris magnopere commendandam putemus? Illam itaque (rogamus vos atque obtestamur) saepissime invisite, praeceptorum industriam acuite, juvenum diligentiam excitate, opportunisque interrogationibus adhibitis, cognoscite num vere in christianae Fidei rudimentis profecerint. Hoc porro si agatis, non modo jussis obsequemini Imperatoris ac Regis piissimi, verum etiam facile videbitis, an in ludo vestro litterario aliqui forte juvenes sint in sortem Domini vocati, quos in Episcopali Seminario excipiendos educandosque Nobis suo tempore exhibeatis. Ea enim in Tarvisina Dioecesi facta est modo ministrorum paucitas, ut nisi Parochorum beneficentia et industria malo huic gravissimo omnino occurrere studeat, Nostrosque hac in re conatus efficaciter adjuvet; brevi futurum erit (dolentes dicimus) ut ipsi Adjutoris alicujus solatium postulent a Nobis, nec possint obtinere. Quod incommodum ceterorum omnium maximum fortasse et gravissimum, ac Christi Fidelibus supra quam dici possit exitiosum facile averti poterit, si Pastores tum suae, tum oppidanorum utilitati consu-

lentes, monendum excitandumque curabunt populum, praesertim vero ditiores homines ut, modica pecuniae vi sponte ad aliquot annos in hunc usum collata, singulos, vel pro Paroeciae amplitudine binos studeant juvenes in Seminario Episcopali collocandos; ex iis alumnis delectos, qui litterario ludo accurate interfuerint, in Schola christianae Religionis vere profecerint, atque Ecclesiasticae vocationis haud dubia praebuerint indicia: quos Scholastico studiorum curriculo rite perfunctos, sanctissimâque auctos Sacerdotum dignitate, ipsi ad laboris levamen ac solatium Adjutores suos, Nobis assentientibus, certissime erunt habituri.

Monita ad sacerdotes.

X. Ad Vos nunc decet, ut paterna convertatur oratio, optimi Sacerdotes, quos eo libentius alloquimur, quo firmior spes est, quam in opere auxilioque vestro jure collocamus. Cum vero ipsi sitis peculiari quadam ratione (ut verbis utamur Principis Apostolorum) *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (I. Pet. c. 2.); unde Nostra potissimum monita exordiemur, nisi a divinis iis Sacrarum Litterarum sententiis: *Obsecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* (Ephes. c. 4.); *ac secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum; et ipsi in omni conversatione Sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum* (I. Pet. 1)? Audiant haec et paveant si qui sunt ex Christi ministris, qui arbitrentur, se posse, posthabita vitae sanctitate, quam Sacerdotalis dignitas plane exigit, vulgari quadam ac mediocri pietatis laude esse contentos. Et sane quis non videat, sanctos esse oportere Sacerdotes, tum quia imaginem quamdam divinae Bonitatis ex officio suo exhibere debent hominibus, tum quia iis funguntur ministeriis, coelestibus omnino ac verendis, quibus ne ipsi Angeli quidem, si ad nos descenderent, digni haberentur? Quae cum ita sint, vel silentibus Nobis, facile videtis qua contentione virtutis ad ardua quaeque et perfectiora exequenda niti debeat, qui victimam sanctissimam manibus suis quotidie tractat; qui omnipotentem rerum omnium Dominum sibi obsequentem habet subditumque in altaris ministerio; qui ipsum iratum tum precationibus, tum Sacrificiis cohibet ne injurias sibi illatas ulciscatur; qui demum ejusdem Dei nomine, auctoritate et jussu in tribunali poenitentiae vel gravissima scelera remittit. Quicumque autem singula haec Sacerdotum officia, altissimamque eorum vocationem secum reputaverit, eo profecto afficietur admirationis castique timoris sensu, ut cum Divo Francisco Assisiensi id merito statuat, crystallo qualibet mundiorem lucidioremque ejus animam esse debere; ac propterea opus esse, ut quisquis, summo Dei beneficio, tanto est auctus honore, ad virtutis incitamentum ipse sibi dicat eloquentissimi Joannis Chrysostomi verbis: *Quo non oportet esse puriorem, tali fruentem Sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os quod spiritali igne repletur? linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro* (S. Jo. Chrys. Hom. LX. ad pop. Antioch.). Quod si *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*

(Psalm. 109.) ea vos prosecutus est charitate, ut *jam non dixerit vos servos, sed amicos, quia quaecumque audivit a Patre suo, nota fecit vobis* (Jo. c. 15.); sic agite, spectatissimi novae legis ministri, ut (quantum humana imbecillitas sinit) ejus sanctitatem accurate imitemini, atque adeo a populo virtutis vestrae laudatore haud immerito dicamini, *Imago bonitatis illius* (Sap. c. 7.). Quamvis enim *mundus totus positus sit in maligno* (I. Jo. c. 5.), et christianam pietatem profanis cupiditatibus obsistentem respuat, atque aversetur; eos tamen vel invitus magni facere cogitur, in quorum actibus elucet *Fides, quae per charitatem operatur* (Gal. c. 5. 6.): quemadmodum exemplo suo demonstrarunt Cajetanus Thienaeus, Phillppus Nerius, Vincentius a Paulo, aliique Sacerdotes sanctissimi, qui uno adjuti innocentis vitae praesidio, tot mundi sectatores Christo pepererunt, ut inter Apostolici muneris labores illud vere dicere possent: *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra* (I. Jo. c. 5.).

Maximum ad perfectionem obtinendam adjumentum in Aeternorum meditatione positum est.

Cum vero sic natura simus comparati, ut voluntas nostra nunquam feratur in aliquod bonum, quin prius intellectus, veluti praemissa face, ipsi ostenderit, illud omnino esse appetendum; satis apparet quae causa sit, cur nonnulli Sacerdotes, eximiae suae dignitatis obliti, in tota vitae ratione improborum hominum mores actusque ita sequuntur, ut Isaias Propheta jure affirmare posset: *Sicut populus, sic Sacerdos* (Isai. c. 24.). Hoc vero ideo contingit, *quia* (liceat Nobis moerentibus et consternatis Jeremiae voces usurpare) *nullus est qui recogitet corde* (Jerem. c. 12.). Nam Æternorum meditatio, cujus ope ac praesidio Dominus clementissimus animam *ducit in solitudinem, et loquitur ad cor ejus* (Ose. c. 2.), cuilibet Sacerdoti non modo apprime utilis, sed etiam adeo necessaria videri potest, ut forte facilius sit hominem excogitare, inter nocturnas tenebras periculosum iter agentem, qui nullo praeeunte lumine, viae pericula effugerit, optatamque contigerit metam, quam ministrum Christi, qui sanctae meditationis usu ac studio posthabito, vitia vitavit, perfectissimumque virtutis genus sit assecutus. Huic ergo orationi per singulos dies incumbite, o Sacerdotes; huic continenti sedulitate atque attentione vacate; huic potissimam progressus vestri causam adscribite. Quod si (quemadmodum optamus) hortantibus Nobis, assueveritis, nocturna diurnaque manu mysticum versare librum, *scriptum intus et foris, signatumque sigillis septem* (Apoc. c. 5.), unde altissimam viri sancti hausere sapientiam; hoc profecto ipsi per vos intelligetis, quod *qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare* (I. Jo. 2.). Illo ergo docente pariter et afflante, brevi discetis, *in omnibus vos praebere exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate ..... ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de Nobis* (Tit. 2.)

Non de pietatis studio tantum sed et de doctrina maxime sollicitos oportet vos Sacerdotes.

Quamvis autem in primis ac praecipue ad pietatem sectandam magnopere hortemur vos, o Sacerdotes, (quippe cum a Paulo Apostolo hoc didicerimus, quod *ipsa ad omnia utilis est* (I. Tim. 4.); nostrum tamen esse ducimus vos pariter monere, ut disciplinas ad sacrum ministerium rite obeundum spectantes, perquam diligentissime excolatis. Jam scitis Dominum Oseae Prophetae verbis olim dixisse: *Quia tu scien-*

*tiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi* (Ose. c. 4.): quod sane testimonium occasionem praebuit Viro sanctissimo, doctissimoque Isidoro Hispalensi haec scribendi: *Tam doctrina, quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor; nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita porro sine doctrina inutilem facit* (Lib. 3. Sent. c. 36.) Quis enim esse potest, qui cum Ecclesiastici ministerii partes multiplices attente consideravit, ultro non fateatur, haud vulgarem doctrinae supellectilem in eo requiri qui Sacerdotali officio sit functurus? Et sane si legem Dei minister Christi declarat concionibus sacris; quis non videat animum afferendum esse ad hoc exercitationis genus, apprime excultum Eloquentiae Sacrae praeceptis, divinarum Litterarum notitia, Ecclesiasticae Historiae penitiore eruditione, ac tum Dogmaticae tum Moralis Theologiae scientia plane exquisita? Si vel juniores alumnos, vel homines aetate provectiores christianae religionis imbuit rudimentis, atque audientium animos apposito orationis genere attollit ad altissima quaeque Fidei mysteria contemplanda; anne citra periculum huic vacabit ministerio, cui voces a Doctoribus Sacris adhibitae, plane domesticae ac familiares non sint? Si hominibus confitentibus in Tribunali poenitentiae praebet aures ac tum Justitiae, tum Misericordiae divinae jura tuetur, ita ut remittat quidem culpam, ea tamen inflicta poena, quae laeso Æterno Numini aliqua saltem ex parte satisfaciat, atque ad nova scelera praecavenda in posterum sufficiat; nonne oportet ut Sacrorum Doctorum monitis jamdiu assueverit, qui vel de morum Regulis, vel de Canonica Jurisprudentia tractant, quicumque ex officio suo talem sententiam, sane plenam periculi, est prolaturus? Si aegros invisit, ac morientibus adest, ut illos verbis suavissimis excitet ad aegritudinis molestias patienti fortique animo tolerandas, atque adeo ad spem omnem in divina Bonitate collocandam; anne muneri huic cumulate satisfaciet, qui piorum hominum Libros assidue versare neglexerit, unde sententiae petuntur ac voces variis aegrorum statibus profuturae? Quapropter merito judicamus, nullum esse ministerii genus, quod mediocrem saltem animi culturam in Sacerdote non postulet; eumque propterea vel noxium, vel certe Ecclesiae minus utilem esse futurum, qui Sacris posthabitis disciplinis, ad officia gravissima imparatus accedit. Scimus equidem, Divo Apostolo Paulo docente, sapientissimo Dei consilio factum fuisse, ut aliae aliis ministerii partes assignarentur; aliique Apostoli essent, alii Prophetae, alii Doctores: at illud pariter scimus, omnibus aeque injunctum esse, ut idoneos se exhibere studeant officio, quo eos aucturi erunt Episcopi, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (Act. c. 20.). Studete ergo, o Sacerdotes, christianam pietatem, qua vos excellere maxime oportet cum eo culturae genere conjungere, ut altera res ab altera ornetur, vosque populo reddat probatissimos: atque ita fiet, ut Nos de ministris optimis jure laetemur; vos vero inter Apostolicos labores *gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum* (I. Jo. c. 1.).

*Monita ad Clericos Episcopalis Seminarii.*

XI. At cum ad memoriam revocamus, revocamus autem saepissime, quid boni ab Episcopali Seminario aequum sit Nobis polliceri, diutius differre non possumus alloqui vos adolescentes optimos, qui in isto bonarum Artium, Scientiarumque domicilio, in

spem crescitis atque utilitatem Ecclesiae Tarvisinae. Qua quidem in re est profecto, cur bonorum omnium largitori gratias agamus et habeamus maximas, cujus immortali beneficio factum est, ut paucis ante annis Seminariensium Praeceptorum Coetui adscriptus esset Vir tum laude vitae tum politioris Litteraturae fama celeberrimus; postea, exigentibus meritis, ad Cenetensem primum, inde ad Venetam Cathedram evectus, Jacobus Monicus Patriarcha (quem debiti honoris causa nominamus); qui magisterii utilitate, scriptorumque nitore et elegantia, non modo Seminarii Tarvisini existimationem mirifice auxit, verum etiam in singulis cujusque facultatis Professoribus, (qui ferme omnes in humanioribus Litteris addiscendis eo usi sunt moderatore ac duce), ad annos plures sic excitavit industriam, ingenium excoluit sollertiamque promovit, ut sedes ista optimis sacra disciplinis jam tum cum primis certare posset, nullique forte secunda hac saltem ex parte esse videretur. Quae quidem tanti Viri merita ne ulla unquam oblivio delere posset, Seminarienses beneficiorum memores, ad perpetuam posterorum notitiam, marmoreo monumento latinis litteris consignato, atque in Majore loci Aula posito, recensenda curarunt. Cum vero istud doctrinae ac pietatis promptuarium, ineunte regimine suo, florens satis ac gloriosum accepisset Pastor benemerentissimus, qui proxime Nos praecessit; pro singulari sua in moderandis juvenilibus ingeniis dexteritate, ea selectissimorum Magistorum copia postea ditavit, atque implorata munificentissimi Imperatoris et Regis ope, iis augendum ditandumque curavit annuis redditibus, ut in quolibet Seminariensi ludo modo vigeat industria, laudis amor ferveat, optimusque tum in dijudicando, tum in scribendo gustus se prodat: ita ut dubium merito videri possit, magisne ab Litteris atque Artium cultura, an a christiana pietate potius, ac Religionis amore sint Professores laudandi. Quae cum ita se habeant, satis intelligimus, beatissimos Nos esse futuros, si omni adhibita contentione et cura, domicilium istud omnigenae culturae in eo prorsus statu servare poterimus, in quo Praecessor Noster ad perenne sui nominis decus Nobis commisit.

Jam vero ut propositum finem assequi possimus, ac Pastoralis ministerii partes statim impleamus; amantissimis hisce Litteris etiam atque etiam hortamur vos, o Seminarienses, ut occasione vobis oblata animum exornandi multiplici eruditione utamini perquam diligentissime: eo vel maxime quod tempus cito labitur, atque anni juveniles ad Artes addiscendas sunt omnium aptissimi. Quapropter divinis Ecclesiastici verbis sic singulos hortabimur: *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te praetereat* (Eccl. c. 14.). Nos certe, quantum per reliquos Epicopalis procurationis labores licuerit, tentaminibus atque exercitationibus vestris saepe interesse studebimus; singulorum adolescentum ingenium, mores, culturam ac progressum in Litteris et Scientiis explorabimus; pios dumtaxat ac doctos viros institutioni et regimini vestro semper praeficiemus; illosque demum alumnos qui christianae pietatis laude, proficiendique in studio bonarum Artium ferventi desiderio supra ceteros excelluerit, peculiari quadam benevolentia usque prosequemur.

Etsi vero majorem in modum cupimus ut politioribus Litteris, Graecis, Latinis et

cum cura in excolendis Theologicis disciplinis sita sit, oportet.

Italis sic sedulam navetis operam, ut in iis possitis excellere; tum quia animum ad exquisitam plane culturam et humanitatem informant, tum quia ad Eloquentiam Sacram profitendam maximo praesidio sunt, atque adjumento: multo tamen impensius consulimus ac praecipimus, vos totos esse in iis disciplinis addiscendis, quae Clericorum omnino sunt propriae. Quis enim Catholicae Ecclesiae utilem, ac de populorum salute optime meritum illum dicere audeat, qui in versandis poetarum libris, atque in carminibus conscribendis tantummodo sollicitus Theologicas Disciplinas, Ecclesiasticam Historiam, Jurisprudentiam Canonicam ne a limine quidem salutavit? Hae scilicet facultates sunt, quae maxime decent Sacerdotem, cujus *labia custodient scientiam* (Malach. c. 2.), ut, quemadmodum Paulus Apostolus Tito suo praecepit, *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (Tit. c. 1.). Nam cum, eodem Paulo docente, ad veritatis ostensionem omnino *oporteat et haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant* (I. Cor. 11.); quo successu cum haereticis, aliisque adversariis arma expediet, qui ab Sacris Doctoribus invictas ratiocinationes, impiis quibusque hominibus metuendas, et qualis earum usus esse debeat, nunquam didicit? Anne tum Catholicae Religionis honori, tum existimationi suae satis consulet, qui quolibet Sacrarum Facultatum praesidio destitutus, errantium philosophorum cavillationes ac deliramenta silens audiet? Quamobrem ne hoc vobis accidat, saluberrimum ad memoriam revocate, optimi Seminarienses, Concilii IV Toletani decretum c. 25: *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sacras et Canones, ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat; atque aedificent cunctos tum Fidei scientia, tum operum disciplina.*

Ad christianam Pietatem sectandam Clerici excitantur.

Ne putetis tamen Nos futuros fore contentos ea dumtaxat, quam longo labore et exercitatione adepturi estis Ecclesiasticarum rerum peritia, nisi hanc eximio christianae Pietatis studio ornare studeatis; cum illa praesertim menti subeat Pauli Apostoli sententia: *Scientia inflat, charitas vero aedificat* (I. Cor. 8.). Non enim Nos latet Sanctam Synodum Tridentinam eo consilio jussisse in Dioecesibus singulis erigi Seminaria, ut quicumque in iis alerentur Clerici a teneris assuescerent ad perfectissimum virtutis culmen assiduo nisu studioque contendere, atque illa fugere vitia, quae Clericos maxime dedecent, in sortem Domini vocatos. Qua ex re non possumus quin magnopere hortemur Te in primis, o Moderator Episcopalis Seminarii, vosque omnes, Professores diligentissimi, ut, collatis consiliis, ad Clericorum memoriam saepe revocetis, morum integritatem, ac fervens christianae Pietatis studium primas in existimatione Nostra partes esse habiturum; illosque omnes propterea ab Ordinibus suscipiendis constantissime esse rejiciendos, qui licet ingenio excellant, aut nulla, aut dubia praebent divinae vocationis indicia. Scimus equidem Tarvisinam Dioecesim ministris indigere, at iis dumtaxat, qui boni sint et probatissimi; ex quo fiet, ut quoscumque suspectos habuerimus, omni posthabita prece, rejectoque patrocinio, ab Sacris Altaribus arceamus. Cumque illud sit Nobis propositum, ut in re sane gravissima ac periculi plena, cujusmodi est Ordinum Collatio, monitis obsequamur Pauli Apostoli Timotheo suo praeci-

pientis: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (Tim. 5.); in antecessum declaramus, Nos in consilium adhibito Seminariensium Moderatore, auditisque Professoribus, longo tempore antequam ad Ordinationes ventum sit, diligentissime esse exploraturos, quae unius cujusque Clerici sit ratio vitae, quae indoles, qui mores, quis virtutis amor, quae cura in sacris obeundis, quae modestia in templis, quae religio ac solicitudo tum in Sacramentis percipiendis, tum in fundendis precibus.

Vestrum sit itaque, Clerici optimi, dum per aetatem licet, illud aggredi iter, quo ad Ecclesiasticam perfectionem tuto contendere possitis. Qua ex re animum ab ineunte adolescentia regite; cupiditates insurgentes compescite; otium fugite; perpetuum vobismetipsis bellum indicite, atque ita semper agite, *ut omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quae ad rem non pertinet* (Ephes. c. 5.). Cumque oporteat vos usque meminisse sententiae gravissimae Concilii Tridentini, *sic decere omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque rebus omnibus nil nisi grave, sanctum ac religi one plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actus cunctis afferant venerationem* (Concil. Trident. Sess. XXII, de Reform. c. 1.); hinc in illud potissimum incumbite, ut vitae undequaque integrae imaginem perquam absolutissimam exhibeatis. *Induite vos ergo* (sic Pauli Apostoli verbis vos alloquemur) *sicut electi Dei, sancti et dilecti, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam ...... super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (Coloss. c. 3.).

*Verba ad Fratres ex Regularibus familiis profectos, et in Dioecesi commorantes.*

XII. Quo vero orationis genere compellabimus Vos, Viros probatissimos, Coenobiorum legibus haud ita pridem addictos, qui priscis sedibus contra votum relictis, modo *cantatis canticum Domini in terra aliena* (Psalm. 136.)? Quam dulci affectionis sensu prosequamur vos, vel ex hoc patebit, quod quotiescumque contingit Nos tempora reminisci, quibus sancta Tarvisina Ecclesia, multiplici agmine vestro stipata, veluti Regina incedebat *in vestitu deaurato circumdata varietate* (Psalm. 44.); sic semper afficimur, ut Praecessorum Antistitum felicitati merito invideamus, qui a Pontificali Cathedra auxiliares hasce copias circumspicientes, dicere poterant: *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua Israel* (Num. c. 24.)! Verum quamdiu optimus quisque ea quae acciderunt mente revolvens, *ponet in pulvere os suum, si forte sit spes* (Jer. Thren.); Nos officii pastoralis partes impleturi, majorem in modum rogabimus atque obtestabimur vos, ut laudabili virtutis contentione, firmitate propositi, innocentia vitae, Patriarchis Patribusque vestris sanctissimis vos Filios dignissimos exhibeatis. Novimus enimvero, gratissimoque animi sensu declaramus, Nos multum vobis debere, tum quia singulari morum honestate rectissimam populo praebetis normam bene vivendi, tum quia Parochos Nostros ceterosque ministros mirifice adjuvatis in iis, quae ad animarum regimen spectant, accurate exercendis. Jamque vos praesertim Nostra

A. 76



modo designat oratio, optimi Theresiae alumni, qui magnae parentis vestrae monita atque exempla sequentes, qua antea coeperatis, constantissime perrexistis via; atque ita gessistis vos, ut Tarvisina gens, vobis tot nominibus obstricta, Carmeliticam familiam se amisisse prope non sentiat. Accipite itaque publicam pro collatis in Ecclesiam Nostram beneficiis, novi Antistitis gratiarum actionem, atque id statuite, Nos laetissimos esse futuros, si optimo Principe consentiente civibusque faventibus, *Dominus qui mortificat et vivificat* (I. Reg. c. 2.) *dispersiones Israelis congregabit* (Psalm. 146.).

Hortatio ad Moniales.

XIII. Ad vos vero quod attinet, spectatissimae Jesu Christi Sponsae, quo utemur orationis genere, quod animi Nostri sensus exaequare possit? Cum enim illud didicerimus a Divo Cypriano, Sacrarum Virginum Coetum, *florem esse Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laudis et honoris opus integrum, imaginem respondentem sanctimoniae Domini, illustriorem portionem gregis Christi ......; propterea has alloquimur, has adhortamur affectione potius quam potestate, eo quod ad sollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus* (S. Cyprian. de disciplina et habitu Virg.) Et sane quid mali ab humani generis hoste non est modo metuendum, ex quo is qui antea fuerat hortus conclusus, arctissima sublata sepe, unde cinctus fuit, heu nimium insidiis patet, fraudibusque inimicorum! Vobis ergo, atque incolumitati vestrae quam maxime fieri possit consulite, o Virgines, intaminatique pudoris custodiam secessui, et solitudini prudenter committite. Veterem nidum, atque impervia petrae foramina, vobis columbis intactis plane domestica, tum veniente, tum abeunte die ad memoriam revocate; ac prae vehementi loci desiderio crebra ab imo pectore cientes suspiria, dicite et vos: *Si oblita fuero tui, oblivioni detur dextera mea. Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* (Psalm. 136.) Ne vero volventibus annis sensim imminuatur amor ac defervescat, quo Coenobia recessusque vestros prosequi consuevistis, sane egregiam recogitate sententiam Divi Hieronymi ad Virginem Eustochium sic scribentis: *Tu semel Saeculi onere projecto, sede ad pedes Domini, et dic: Inveni quem quaerebat anima mea, tenebo eum et non dimittam. Semper te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum Sponsus ludat intrinsecus. Oras? loqueris ad Sponsum. Legis? ille tibi loquitur. Nolo te Sponsum quaerere per plateas: nolo te circumire angulos civitatis. Foris vagentur virgines stultae: tu intrinsecus esto cum Sponso* (Hier. Epist. ad Eustoch. circ. med.). In interiore ergo cubiculi parte menti vestrae usque obversetur quod Deo vovistis, Codex Legum quas pollicitae estis vos esse servaturas, Sponsus demum coelestis qui vos complexu suo beatissimas efficiet. Hunc diligite, hunc quaerite, hunc multa prece rogate, *quia* (ex Tobiae doctrina) *post tempestatem tranquillum facit, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundit* (Tob. 3.). Interim usque dum fiat, quod vehementer avemus, ut exoratus Dominus *statuat procellam in auram* (Psalm. 106.), vobisque deprecantibus hortus iterum pateat, eja agite, o Virgines, *florete quasi lilium et datė odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum* (Eccli. c. 29.).

XIV. At cum ad Vos orationem convertimus, vigilantissime Scholarum Inspector in Provincia Tarvisina, prudens puellarum Rector et Dux ad christianam pietatem sectandam, optima demum foeminei Collegii Moderatrix et Magistra; quorum prudentia, auctoritate ac cura fit, ut patria Domus, juvenili assignata institutioni, ad S. Theonisti, ita vigeat et floreat, ut uberrimi ex ea fructus in dies merito expectari possint; tantum abest, ut hortamentis monitisque vos excitandos esse arbitremur ad opus hujusmodi alacriter prosequendum, ut ancipites potius, ac taciti cogitemus quam gratiam, acceptis haud imparem beneficiis, referre possimus. Vobis enim vestrisque documentis debemus fervens Religionis ac virtutis studium, quo puellae parentibus ceterisque se exhibent probatissimas. Vobis debemus exquisitissimam ac plane admirabilem in Christiana Doctrina addiscenda sollicitudinem, unde factum est ut tentaminum adventante die, egregius Praecessor Noster saepe testatus sit in magna auditorum frequentia, juvenilia ista ingenia tam sollerter exculta, praeconceptam expectationem non solum aequasse, sed plane vicisse. Vobis debemus haud mediocrem animi culturam, longo partam et continenti bonarum Artium studio; cujus ope provectiores alumnae, scholasticis exercitationibus rite perfunctae promeritas in Civili Societate assequuntur laudes, atque officia filiarum matrumque familias implent accurate. Nec mirum videri potest eas sic proficere, praesertim in christianae virtutis desiderio, quae vobis docentibus, aureum illud D. Hieronymi monitum toties a teneris audierunt: *Felix illa conscientia, et beata virginitas, in cujus corde praeter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia et justitia, nullus alius versatur amor* (D. Hier. Epist. ad Demetriadem.). Quae cum ita sint, id unum optamus, ut Primoribus municipii Tarvisini annuentibus, Magistrarum Collegium in stabilem et religiosam coeat Societatem, ejusdem Divi ac Patris tum patrocinio, tum legibus addictam: ut ad Urbis decus, ad parentum solatium, ad puellarum utilitatem hujusmodi institutio in omnes consequentes annos conservetur.

Pauca ad puellas quae in Collegio patrio instituuntur ad S. Theonisti.

XV. Ad Vos nunc sermo noster, o Viri Clarissimi, qui ingenii praestantia editorumque Operum utilitate, eam patrio Athenaeo peperistis nominis famam, ut vel cum primis Italiae Academiis certare modo posse videatur. Nemo vero miretur, Nos Tarvisinis Sacris praefectos et vos alloqui, simul convenientes statis diebus et horis, ut de Litteratura, de Philosophia, de Mathesi disputetis. Nam praeterquam quod universae Facultates, si recte adhibeantur, maximo divinae Religioni praesidio et adjumento esse possunt; illud etiam accedit, quod cum Nos ipsi hactenus fuerimus, singulari vestro beneficio, eidem Coetui adscripti, facile cognovimus, multos esse ex Accademicis Nostris, qui ornato scribendi genere, eruditionis copia sententiarumque gravitate plurimum ad Christianae Fidei utilitatem conferre queunt. Quapropter cum munus Pastorale quod suscepimus id postulet a Nobis, ut, conquisitis undique subsidiis, diligenter caveamus ne erroris virus unquam serpat, ac veritas Religionis cunctis pateat; majorem in modum postulamus a vobis, ut Litterariam Societatem vestram non modo ad patriae decus perpetuo stare, verum etiam de bono publico mereri velitis. Is enim demum, ex D. Augustini sententia, Scientiarum et Artium optimus ac rectissimus usus est, si jubea-

Verba ad socios Accademicos Athenaei Tarvisini.

5

mus eas ad Dei gloriam, nostramque et aliorum utilitatem conferre, quemadmodum idem Doctor hisce verbis monuit: *Sic itaque adhibeatur Scientia, tanquam machina quaedam, per quam exsurgat structura Charitatis, quae maneat in aeternum etiam cum Scientia destruetur; quae ad fidem Charitatis adhibita, multum est utilis; ipsa autem per se sine tali fine non modo superflua, sed et perniciosa est* (Aug. Ep. 55. n. 39.)

Sermo ad Praeceptores Scholarum Majorum ad D. Nicolai.

XVI. Sed et Vos grati animi testimonium, paternique sensus Nostri quoddam veluti pignus habetote, Praeceptores strenui, qui voluntate ac jussu beneficentissimi Principis, ingenia studiosae Juventutis moderamini in Scholis, quibus vel a majoribus, vel a minoribus Litterarum elementis inditum fuit nomen. Cum enim saepe tentaminibus atque exercitationibus vestris interfuerimus, experientia duce, cognovimus quae vestra sit dexteritas in tradendis optimarum Facultatum rudimentis, in alliciendis ad virtutis amorem juvenilibus animis, praesertim vero in legibus recti honestique accurate explicandis: ita ut Scholae Majores Tarvisinae, nobilissimum Caesareae mentis monimentum, ceteris fortasse exemplo esse possint. Pergite ergo, (te imprimis rogamus, Scholarum Rector optime, vosque, quotquot estis, Professores clarissimi,) pergite bene coeptum iter, alumnorumque mentes a pueritia imbuite severioris disciplinae praeceptionibus, potissimum autem assidua Dei praesentis, cunctaque cernentis cogitatione; ut talibus confirmati documentis, assuescant crimina aversari, pravos animi motus compescere, mendacia odisse, virtutem amplecti, parentes demum ac proximos sincera prosequi charitate. At cur vos longo morabimur sermone hortationis, cum illud certissime sciamus sic vos esse de re publica meritos, ut ipsi valido fueritis stimulo atque incitamento nobilioribus oppidis ad idem ludi litterarii genus sibi comparandum? Et sane virtuti sollertiaeque vestrae debere fatemur recens consilium initum a Primoribus Castrofrancani municipii, ad optima quaeque paratissimis, easdem habendi Scholas Majores, quas, docentibus vobis, audierant uberrimos ad patriae spem et solatium edere fructus in Urbe Tarvisina: unde factum est, ut locus ille Nobis apprime charus, exemplo vestro excitatus, novo juvenilis institutionis praesidio ditaretur. Faxint Superi, ut tum ii qui Inspectorum munere funguntur, tum Rectores ipsi, quemadmodum illos etiam atque etiam hortamur, toti sint in hisce ludis crebro invisendis adducendisque ad perfectiorem statum: nam tunc fiet, ut voluntas impleatur piissimi Principis, qui late diffusa studiosae Juventutis educatione, optimae morum culturae ac Religionis honori pariter consuluit. Vobis interim, o Praeceptores, excellens illud D. Hieronymi monitum usque obversetur: *Juvenilis aetas syllabas jungat ad praemium; et quibus deliniri potest, munusculis invitetur. Habeat et in discendo socios, quibus invideat, quorum laudibus mordeatur. Nec objurganda est si tardior sit; sed laudibus ejus excitandum est ingenium, ut et vicisse gaudeat, et victa doleat* (Divus Hier. Ep. ad Laetam.)

Hortamentum ad puellas, quae

XVII. Nec Vos fas est silentio praeterire, quorum vigilantia et studiis aptissimus minoribus puellis instituendis ad D. Augustini ludus patet. Qui veros referre possit qua

*In Schola patria instituuntur ad D. Augustini.*

animi contentione tum Tu, optime Sacerdos, Scholae Moderator, tum vos sedulae Magistrae, occasione sumpta ab Ejus monitis qui Catechesi ex officio incumbit, dociles alumnarum animos ad virtutis amorem provocetis, ut Deum cunctarnm rerum principium ac finem cognoscant, diligant, vereantur? qua sollertia atque industria, pro audientium ingenio et aetate, morum innocentiam et honestatem vividis coloribus sic pingatis, ut ipsa incredibiles sui amores excitet? quo successu tum piorum hominum gaudium et pacem, tum improborum suspiciones, terrores, calamitatem, infortunia explicetis? Ipsi audivimus saepiusque intelleximus alias ex ludi istius alumnis admirabili facilitate interrogantibus respondentes; alias vero mulieris fortis addiscentes munia, sedulitatem, constantiam a magistrarum praeceptis et exemplis. Qua ex re, vestrum sit, o puellae docilem Educatoribus aurem accommodare, ut futuris temporibus optimae institutionis vestrae felicitatem suam singulae familiae referant acceptam. Vos vero, o Magistrae, opus continenter urgete universae patriae sane saluberrimum, atque illud cogitate futurum fore, ut multiplicem ex industria vestra capiatis fructum, si juxta Pauli monitum, puellas usque educabitis *in disciplina et correptione Domini.* (Ephes. c. 6.).

*Pauca de triplici Domo Pauperum usibus atque utilitati assignata.*

XVIII. At quo Nos modo rapitis quicumque estis, qui egestate pressi auxilia a Christi Fidelibus jure plane vestro postulatis; ad quos cogitationem ac sermonem omnino convertere cogimur, quoties hospitalia tecta usibus vestris praeparata contemplamur? Scilicet vos estis Tarvisini gregis pars eo pretiosior et charior, quo magis oculis Nostris Christum exhibetis, *qui propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites facti essetis* (2. Cor. 8.): unde fit, ut quidquid ad vos quomodocumque spectat, peculiari quodam obsequii et amoris sensu prosequamur. Salve itaque, Domus quae, Tarvisinorum civium largitate, miseris excipiendis educandisque pates; eaque confluenti egenorum catervae subsidia praebes, ut optimorum magistratuum vigilantia, et municipii sollertia, laudabilis inter septa tua vigeat industria, multiplex opus ferveat, omnigenaeque virtutis cohors, depulso otio vitiisque, hospitium sibi charissimum inveniat.

*Domus Pauperum Receptrix.*

Salve pariter, Domus, Pauperibus Ægris, ceterisque praesidio ac solatio destitutis statio tutissima; cujus in limine primo Charitas sedet, quovis officii genere dejectos, jacentes, sordidatos opportune solatura: ita ut singulari beneficio tuo, quicumque adversa conflictantur valetudine, artis medicae ope, aegritudinis molestias levari sentiant; ii vero, quorum oculis metuenda obversatur imago mortis, piis divinae Religionis manibus trepidantem animam committant, ad principium suum reversuram.

*Domus Aegris pauperibus curandis patens.*

Salve demum et tu, alma Domus, cui a christianae Pietatis officiis a Majoribus inditum nomen est; in pauperum usus argentum aurumque condens, quod mox, jussu tuo, Beneficentia egenis petentibus mutuum dat munifica manu: ut sibi ac suis in necessitatibus consulant, atque avaritiae fraudes sordidosque quaestus timere desinant. Sic vobis Deus exorato adsit patrocinio, susceptaque fortunet opera, Tarvisino municipio adeo gloriosa et utilia, ut ad Urbis ornamentum, ad pauperum solatium, ad universorum Ordinum laetitiam quam diutissime floreatis. Vos vero, quibus Æterni Numinis Providentia multiplices largita

*Domus Beneficentiae, appellata vulgo Mons Pietatis.*

est divitias, sic iis uti studete, ut triplicis istius patriae domus perennem incolumitatem ac decus omnino procuretis. Quod sane assequemini si unicuique vestrum dictum fuisse a Domino memineritis: *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.* (Psalm. 10.). *Estote misericordes, sicut et Pater vester coelestis misericors est. Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* (Luc. 6.).

*Hortatio ad V. Viros Fabricae Praepositos Basilicae Cathedralis.*

XIX. Ad Vos autem verba facturi, Viri spectatissimi, Fabricae Praepositi Cathedralis Basilicae; quid dicemus, quod expectationi ac desiderio Nostro cumulate satisfacere queat? Cum enim saepius antea multiplici experimento didicerimus, ea vos excellere pietate, ferventi religionis studio et beneficentiae amore, ut nihil omnino relinquatis, quod ad majorem Dei gloriam promovendam possit utcumque conferre; propterea enixe rogamus et obsecramus vos, ut collatis consiliis cum Reverendissimo Patrum Canonicorum Collegio, omni tandem posita mora, Principem Urbis Basilicam perficiendam exornandamque curetis. Hoc divinus honor, hoc universorum expectatio civium, hoc ipsa religio vestra omnino suadet, suoque plane jure postulat. Quod si quispiam forte multis deterritus difficultatibus, quae impedimento esse possunt quominus Ædes ista ad optatum perducatur exitum, multa timens diceret: *Nondum venit tempus Domus Domini aedificandae* (Aggaei c. 1.); vos contra nobilissimum urgentes opus, unde Urbis Tarvisinae splendor decusque praecipue pendent, ejusdem Aggaei Prophetae verbis sic civium industriam excitate: *Haec dicit Dominus exercituum. Ascendite in montem, portate ligna et aedificate domum, et acceptabilis mihi erit, et glorificabor* (Aggaei c. 1.). Quod sane eo imperiosius suademus, quod plane confidimus futurum fore, ut tum Viri gravissimi a Consiliis Augusti, penes quos, Caesare jubente, Veneti Regni summa est, tum patrii Magistratus pro singulari sapientia ac benignitate sua huic faveant operi, studiisque vestris obsequantur.

*Sermo ad spectatissimos Urbis Magistratus.*

XX. Illud demum restat, ut Nos Pastorale munus aggressuri, Te inprimis obtestemur, Vir Egregie, qui Regis potentissimi nomine ac jussu florentissimae Provinciae Tarvisinae multis abhinc annis sic praees, ut ingenii vi, prudentiae laude atque aequitatis amore singulos civium ordines Tibi devinxeris, Nobisque ipsis peculiaris benevolentiae pignora ac significationes saepius exhibueris; deinde Vos, Magistratus integerrimi, qui Legum Custodes ac vindices, piorum hominum securitati consulitis, ac noxios quosque poenae timore sic compescitis, ut vel peccare timeant, vel saltem peccare desinant; Vos demum, Primores benemerentissimi Municipalis Ordinis, quorum praesentia ac religione plurimum decoris ac dignitatis Tarvisinis Sacris accedit: ut Nobis sane difficillimam amplissimi gregis procurationem ineuntibus, consilio, auctoritate, praesidio usque patrocinari velitis. Nam cum arma militiae nostrae (ut Pauli Apostoli vocibus utamur) *non carnalia sint* (2. Cor. 10.); illud plane consequitur, omnino necesse esse, ut quicumque publico aliquo auctus ministerio, *non sine causa gladium portat* (Rom. 13.), sacram velit esse, cunctisque verendam potestatem, quam *Dominus dedit mihi in aedificationem* (2. Cor. 13.), ut poenae metu (ubi forte opus fuerit) incusso,

vel ipsi audaciores homines dictis Nostris obtemperent cum ex Pastoralis muneris instituto dicturi erimus Pauli Apostoli vocibus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo ..... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam* (Rom. c. 13.). Et sane cum D. O. M. utriusque Reipublicae, Ecclesiasticae ac Civilis auctor sit, et legislator, Ecclesiam jussit hortamentis monitisque suis Principum ac Magistratuum auctoritatem tueri; hos vero omni studio conniti, ut Ecclesiae, ejusque ministrorum sanctissimam ac verendam ostendant esse potestatem: ex quo factum est, ut altera alterius opem postulet, utraque autem ad universae Societatis felicitatem amice conjuret.

Monita ad Conjuges, Parentes, et Filios.

XXI. Cum vero sciamus Episcopalem dignitatem, qua aucti sumus, singulorum Christi Fidelium Tarvisinae Dioecesis, cui, miserante Domino, praesumus, Rectores Nos ac Patres efficere; non possumus quin cursim saltem orationem ad Familias breviter convertamus. Quod si Societas Conjugalis ea est, per quam, debito servato ordine, propagatur soboles ad Rerumpublicarum solatium et praesidium, eaque imaginem quamdam exhibet conjunctionis castissimae, quae Christo cum Ecclesia intercedit; majorem in modum hortamur viros, ut justo prosequantur honorē *Sacramentum, quod magnum est in Christo, et in Ecclesia* ( Ephes. 5.), uxoresque suas sincera ac constanti diligant charitate; has vero, ut ceterarum quarumcumque rerum nesciae vel oblitae, viro suo, natis, familiae dumtaxat vivant. Cumque illud sit certissimum, ex recta sobolis institutione tum praesentis, tum futurae vitae felicitatem magna ex parte pendere; enixe rogamus parentes, ut praeceptis, exemplo, correctione filios suos ad virtutis amorem inflamment, eos jubeant a teneris Deum timere, Principibus obsequi, Sacerdotes colere, majores natu vereri; illos porro sic custodiant, ut ab impiorum hominum societate, atque a pravorum librorum lectione, (unde omnis corruptelae seminarium extitit) perquam diligentissime caveant. Postremo Matres familias monemus, ut omni adhibita sedulitate et cura, virginum suarum decori, innocentiae ac famae consulant; neque eas ullo pacto, vel sub pietatis specie, sinant aut incustoditas manere domi, aut sine tutoribus et arbitris probatissimis foris vagari.

Humili prece ad Dominum concluditur Epistola Pastoralis.

XXII. At quae Nobis spes subesset monita ac consilia, Filiorum Nostrorum utilitati accommodata, effectum tantopere oxoptatum paritura esse, nisi Fide ac Spe assurgeremus ad Eum, unde *omne datum optimum, et omne donum perfectum* (Jacob. c. 1.)? Cumque oporteat, ex Sacrarum Litterarum auctoritate, multos simul junctos eidem officio vacare precum, ut propositum sibi finem felicius assequantur; propterea etiam atque etiam monemus vos, ut inita Nobiscum societate, in exorando Domino toti sitis. Rogate itaque primum D. O. M. pro incolumitate Summi Pontificis *PII* Papae *VIII*, cujus fidei, vigilantiae et curae divinitus commissa est *sollicitudo omnium Ecclesiarum* (2. Cor.): ut, Ipso regente, pristinus pietatis ardor reviviscat, Ecclesiastica floreat disciplina, atque ea quae ad universae Christianae Reipublicae utilitatem moliturus est, suum sortiantur effectum. Opem deinde coelestem exorate potentissimo Imperatori ac Regi Nostro FRANCISCO I, cujus fama ob ea quae ad totius Europae pacem

gessit, latissime pertinuit: ut divino adjutus praesidio, ad annos plurimos singulari sua Religione, sapientia, humanitate subditarum gentium multitudini praesit felix usque et gloriosus. Auxilium quoque a Domino implorate piissimo Principi Rainerio, qui Fratris excelsi loco in Regno Longobardo-Veneto Regiam obtinet dignitatem: ut Ipse una cum Clarissima Austriaca sobole, cujus gloria ac decus est, populis sibi jure plaudentibus quam diutissime dominetur. Crebras etiam fundite preces pro Magistratibus, qui Regio nomine, publicae consulunt quieti et incolumitati: ut quaecumque ad universorum civium salutem decernunt, ad exitum suum feliciter perducantur. Ad Nos demum quod attinet, cum magni intersit, ut uno juvandi proposito fine, Pastorale ministerium aggrediamur, his Pauli Apostoli verbis vos postremo loco monebimus: *Obsecro ergo vos, Fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum* (Rom. c. 15.). Vobis interim Pacem, quam Christus attulit, ex animo precati, Pastoralem Benedictionem impertimur.

*Dat. Venetiis V. Kal. Octobr. An. M.DCCC.XXIX. ipsa die Consecrationis Nostrae*

SEBASTIANUS EPISCOPUS TARVISINUS.